

QUÆSTIO II.

An & qualiter in impedimento criminis dispensari soleat?

11 Jam indicavi in hoc cap. num. 30. dispensari non solere, quando impedimentum criminis provenit ex conjugicidio: quod tamen intelligendum venit de utroque foro, in quo, teste Pyrro Corrado in *Praxi Dispensat. Apostol. lib. 8. cap. 9. num. 8.* nunquam visum est, fuisse dispensatum per Datariam, quæ ad unguem servat dispositionem textus in cap. si quis marito XXXI. q. 1. adeo ut Clemens VIII. etiam potentissimis oratoribus, pro dispensatione supplicantiibus, eam prorsus denega-

verit; licet unus duntaxat in alterius necem conspiraverit. Indeque consequitur, quod, si dispensetur propter adulterium (quod inconsuetum non est) addatur clausula: *dummodo nec tu nec compars in necem alterius machinati sitis.* Pro foro tamen interno dispensationem etiam in conjugicidio à S. Pœnitentiaria impertiri, injunctâ parti nocenti pro modo culpæ congruâ pœnitentiâ, quæ saltem per annum duret, tradit & explicat idem Corrad. num. 9. & 10.

QUÆSTIO III.

Utrum metus gravis & injustus non tantum invalidet matrimonium, sed etiam sponsalia?

15 Pari jure sponsalia, metu exorta, censui, cum matrimonio in hoc cap. à numer. 44. Rationem palmarem dedi: quia, licet sponsalia ex sua natura sint rescindibilia, habent tamen pro suo objecto actum irrevocabilem, matrimonium scilicet, vi obligationis sponsalitiæ contrahendum.

16 Adversam opinionem cum multis tuetur P. Pichler ad tit. de Sponsal. num. 15. palmari nostræ rationi palmarem, ut ipse putat, re-torsionem opponens in iisdem instantiis, negansque, quod metus, ubi semel cessavit, virtualiter adhuc duret in genere moris, ac influat, vel inficiat ipsum matrimonium: si enim metum passa, ait, in sponsalibus, cessante metu, non petat rescissionem illorum, nec excipiat, rata habet, & conservat priora sponsalia liberè ac sponte, & liberrimè absque ullo metu contrahit matrimonium, licet obligata dependenter à prioribus sponsalibus, quæ obligatio fuit inefficax & conditionata quasi; si nolit petere rescissionem, aut opponere exceptionem, fit autem efficax, & absoluta per hoc, quod postea nihil opponat, sed contrahat matrimonium.


17 At, pace præfati Clariss. Authoris, data retorsio est planè torta seu extorta. Quantumvis enim ponamus, metum post sponsalia cessare, durat nihilominus virtualiter, & moraliter, hęc ipsò quod supponatur, sponsalia, metu inita, inducere aliquam obligationem: quomodo enim inducetur aut continuabitur obligatio, nisi causa obligationis, seu consensus, ex metu elicitus, in virtute & effectu relicto etiamnum duret? Jam si metum inferens ex hac obligatione urgeat sponsam v.g. metum passam ad matrimo-

nium contrahendum, & Judex Ecclesiasticus ipsam, licet excipientem & renitentem, condemnat, nunquid metus inficit & influit in ipsum matrimonium, quod non contrahitur, nisi ob præcedentia sponsalia, ex metu inita? Nec juvat sponsam exceptio de metu, si illa à Judice non attendatur; neque etiam metus purgatur ex contractu matrimonii, quem sponsa non nisi propter sententiam Judicis celebrat: alioquin enim, si metum purgatum supponamus, non tantum sponsalia incipiunt valere ex novo & libero consensu, sed etiam matrimonium, antehac per metum inicum, hęc modò validum evadit; cessatque tunc omnis quæstio.

Quod autem obligatio, ex ejusmodi sponsalibus nata, dicatur inefficax & conditionata quasi, & si sponsa nolit petere rescissionem, aut opponere exceptionem, fiat efficax & absoluta, nihil in hypothesi nostra proficit: siquidem, etsi hæc omnia largiamur, non tangitur punctum nostræ difficultatis, dum in casu, quod versamur, sponsa metum passa, supponitur quidem velle rescissionem & abolitionem obligationis, ex metu extortæ, sed non posse efficaciter petere aut obtinere, sed potius à Judice adigi ad matrimonium celebrandum: quo in eventu utique ad statum planè violentum constringitur. Quibus omnibus perpenis, longè consultius videtur, si sponsalia, ex metu extorta, statim ab initio non valere dicantur, quam ut sponsa ad Judicem ablegetur, & ancipitem judicii aleam experiri cogatur: cum sponsalia, sicut in aliis ita præcipuè in causa libertatis matrimonii favore potiri debeant.



CA.



CAPUT V.

De Reliquis Impedimentis dirimentibus.

SUMMARI A.

1. Vim dirimendi matrimonium Ordo sacere habet ex constitutione Ecclesie. 2. Refertur eorum opinio, qui vim illam immediate tribuunt voto. 3. & 4. Impugnatur. 5. An, qui ex metu gravi ordinatus est in Subdiaconum, teneatur ad castitatem perpetuam? Ratio pro affirmativa. 6. Dissolvitur. 7. & seqq. Resp. ad Concil. Toletanum. 10. & seqq. Valeatne matrimonium hæretici cum Catholica sub ea conditione, ut filii, exinde nati, educantur in secta patris? Sententia negativa à quopiam vellicatur. 12. & seqq. Pindicatur. 15. & seqq. Exponitur cap. ult. de Condit. appol.

22. & seqq. Obviatur novo insultui. 24. Parochus excommunicatus, suspensus, aut specialiter interdictus, non potest assistere matrimonio. 25. & seqq. Dissidentium argumenta. 27. & seqq. Resolvuntur. 31. Præsentia Parochi debet esse moralis. 32. Quam impedit involuntaria ipsius distractio. 33. & seqq. Imò & affectata. 35. Testes quoque moraliter debent esse presentes. 36. & seqq. An sufficiat casualis? Fundamenta negativa sententia. 39. & seqq. Probatur affirmativa, & evertuntur fundamenta priora.

QUÆSTIO I.

An Ordo Sacer vim dirimendi matrimonium immediate habeat ex Constitutione Ecclesie, vel ex Voto?

1 Nemo ambigit, quin Ecclesie constitutioni in acceptis referenda sit vis dirimendi matrimonium propter Ordinem sacrum. ex dictis in hoc cap. num. 22. Quod non obstante, putant aliqui, vim illam immediate ex voto, & mediate ex Ecclesie constitutione derivari: partim quia ordinati in sacris debent emittere votum aut expressè aut tacite per textus in cap. nullum 1. Dist. 28. ubi dicitur: *nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se viderunt castè promiserit; item in cap. cum olim 6. de Cleric. ibi: nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentia non admittit; item in cap. un. de Voto & Voti redempt. in 6. & Extrav. antiqua Joann-*

nis XXII. eod. ubi votum per susceptionem S. Ordinis solemnizari seu solenne fieri dicitur, sicuti per professionem religiosam. Quia verò ex ipsa Ecclesie ordinatione promanet, ut, qui sacros Ordines suscipere volunt, continentia votum vel expressè vel tacite emittant; ac obligatio servandi castitatem magis ex Ordinis sacri susceptione, quam voti emissionis subnascitur, dum etiam, qui de voto castitatis non cogitat, nihilominus ad castitatem obstringitur: videtur mihi potius dicendum, vim dirimendi matrimonium immediate ex Ordine sacro, & mediate ex Legge Ecclesiastica, quæ votum Ordini sacro conjunxit, descendere.

QUÆSTIO II.

An, qui ex metu gravi & injusto fuit ordinatus in Subdiaconum, teneatur ad castitatem perpetuam?

1 Negavimus in hoc cap. à num. 10. & in numero 15. ad principale argumentum sententia affirmativæ respondimus. Cui superaddendum argumentum aliud, quod votum simpliciter liberè, licet non sponte, seu absque gravi metu facta, spectatò Jure Naturali valeant omnia; adeoque & votum continentia, sacris Ordinibus annexum valeat, neque ullibi in Jure reperitur fuisse irritatum. Quod tamen ex dictis cit. l. absque difficultate diluitur, dum votum solenne continentia, quod obligat ad actum & statum irrevocabilem, non qualemcunque libertatem, sed plenam desiderat, sive spectetur Jus Naturale, sive Positivum Canonicum, ut con-

stat non solum de matrimonio, sed etiam professione religiosa.

Neque opponas: in Concilio Toletano VIII. ordinatos ex tali metu arceri à conjugiiis, nisi relaxationem voti impetrent. Enimverò in hoc Concil. prout habetur apud Ludovic Gail in *summa Concilior. tom. 2. pag. m. 260. num. 7.* omnis relaxatio voti denegata, imò in pœnam detrusio in Monasterium imposita fuit, si matrimonium contrahant: ut proinde, dum loquitur de iis, qui obtinent, se metu periculi ab Episcopis fuisse ordinatos, debeat intelligi de metu justo, vel levi, & in virum constantem non cadente: alioquin enim juxta ipsos adversarios relaxationem impetrare posset.

QUÆSTIO III.

Valeatne matrimonium heretici cum Catholica, eâ adjectâ conditione, ut filii, exinde nati, in secta patris educentur?

- 10** Non valere, asserui hoc cap. num. 57. invictò planè & renitente P. Pichler ad tit. de Sponsal. num. 131. ac dicente, me novum hoc impedimentum matrimonii statuisse primum, sine ulla allegata autoritate; cum tamen nec Jus Naturale nec Positivum irritet matrimonia, sub tali conditione contracta; reclamet insuper communis Doctorum, imò & Ecclesiæ tolerantia, dum videmus, saltem in Germania nostra, sæpius jam fuisse contracta, & hodie dum, quamvis impiè, sub dicta conditione contrahi matrimonia, imò ordinariè sub tali conditione tacita: nunquam verò Ecclesiam aut Episcopos se opposuisse, vel se opponere illis tanquam invalidis, aut separationem talium conjugum præcipere; accedente communi sensu fidelium, hujusmodi conjugum liberos pro legitimis habentium, sine ulla tergiversatione.
- 12** Sed, quò fundamentò mihi opponi potest, me primum hanc meâ sententiâ novum impedimentum statuisse, qui nihil aliud docui, nisi quod pridem in cap. ult. de Condit. oppof. constitutum est, quòd conditio, quæ bono prolis adversa est, tanquam repugnans substantiæ matrimonii, vitiet ipsum matrimonium: hujusmodi autem conditio est, quâ proles mascula in secta patris educari debet, dum proli Christianæ nil magis obesse potest, quam si hæreseos venenum cum lacte imbibat. Quòd verò nullam auctoritatem allegaverim, imò fossus fuerim, me Authorem aliquem, qui mecum sentiat, non legisse, quid importat? Textus enim & ratio etiam in Jure nostro prævalet cuicumque
- 14** auctoritati extrinsecæ; satisque pro robore, si quo indigerem, servire posset Clariss. P. Schmalzgrueber ad tit. Qui Clerici vel vocant. num. 150. circa fin. ubi sine ulla hæsitatione recipit meam sententiâ, dicitque, quòd hæc conditio, opposita contractui matrimoniali, illum vitiet, & irritum faciat.
- 15** Dices: in cit. cap. ult. de Condit. appof. tantum illas conditiones pro repugnantibus substantiæ matrimonii reputari, quæ sunt contra bonum prolis naturale, non autem, quæ adversantur bono spirituali: aliàs etiam matrimonium foret nullum, à meris hæreticis formalibus contractum, sub ea conditione, ut proles omnes in hæresi educentur; uti & illud matrimonium, quòd Catholici contraherent sub hac conditione, ut proles susceptæ educerentur ad furandum, aut edoceantur artem magicam, aut maritus deserat fidem Catholicam.
- 16** Resp. hanc distinctionem non haberi in cit. cap. ult. Sed ab initio generaliter & indistinctè dici, si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, & postea per modum exempli hanc generalem dispositionem explicari

in verb. puta si alter dicat alteri, contraheo tecum, si generationem prolis evites &c. quòd quidem exemplum exprimit conditionem, quæ tantum adversatur bono prolis naturali; sed quia non coarctatur ad bonum prolis naturale, nec, ut in proverbio est, exempla restringunt regulam, utique ex indefinita locutione, prius factâ, etiam admittit conditionem aliam, quæ adversatur bono prolis spirituali; utpote cum Christus Dominus, elevandò matrimonium ad dignitatem & rationem Sacramenti, ac vim operativam gratiæ Sacramentalis tribuendò, non tam respexerit ad generationem naturalem, ad quam solius naturæ vires sufficiunt, quam ad generationem spirituales, ut proles, exinde susceptæ, per solius Catholicæ & salvificæ fidei præcepta educerentur in sinu S. Matris Ecclesiæ, & genuinis Christi filiis adscribatur. Quæ cum conditione si hæretici formales expressè contrahant, ut nempe omnes liberi in hæresi educerentur, apud me nil obstat, quin hujusmodi matrimonium dicatur nullum: quippe qui hæreticos in ordine ad matrimonii impedimenta non censo melioris esse conditionis, quam Catholicos; nullatenus consideratâ vel dissimulatione Prælatorum, vel legitimitate liberorum: quippe cum in Germania Prælati suis ex cautis etiam dissimulent matrimonia Catholicorum cum hæreticis, quibuscunque pactis & conditionibus contracta, etsi P. Pichler ea vocet impia; proles autem legitime reputari valeant, si parentes etiam hæretici, sint in bona fide, veluti jam supra indicatum est.

Nec paritas est inter hanc & alias conditiones, in num. 15. allatas: nam bonum fidei, cui adversatur conditio de educatione in secta heterodoxa, est inter spiritualia primum ac principale, quòd demptò, reliqua bona non sunt reipsâ bona, ex quo sine fide impossibile est placere DEO. Econtra mores & conversatio proba, quibus adversantur conditiones aliæ, non sunt ejus generis, ut substantiæ matrimonii inter Christianos tantopere repugnent, dum, stante fidei donò, à teneris annis acceptò, cætera vitia facilius ad libellum & normam vitæ Christiano-Catholicæ reduci possunt.

Urgebis: ne quidem educationem prolis in fide Catholica esse contra substantiam matrimonii: sicut nec actualis generatio prolis ad ejus substantiam pertinet, sed tantum obligatio mutua, saltem radicalis, ad actus, per quos generari potest proles.

Resp. quòd, sicut generatio radicalis seu obligatio radicalis ad generationem est de substantia matrimonii, sic etiam educatio radicalis seu obligatio radicalis ad educationem Christiano-Catholicam fit de matrimo-

nii substantia; quemadmodum ergo conditio seu pactum, excludens generationem seu obligationem radicalem prolis, refragatur substantiæ matrimonii; ita & conditio seu

pactum, excludens educationem seu obligationem radicalem ad prolis educationem Christiano-Catholicam substantiæ matrimonii refragatur.

QUÆSTIO IV.

Qualis Parochus requiratur ad matrimonium non-clandestinum; & qualiter debeat esse presens?

- 24** Quoad primum diffusè responsum est in hoc cap. à num. 88. in Parocho requiri, ut sit verus, proprius respectu saltem unius ex contrahentibus, non-excommunicatus, suspensus, aut specialiter quoad assistentiam matrimonii interdictus. Quæ duæ ultimæ qualitates inter alios non requiruntur à P. Pichler ad tit. de Clandest. desponsat. sub n. 18. ex ea ratione: quia assistentia matrimonialis nec est actus ordinis, nec jurisdictionis, nec administrationis beneficii, sed officium testis, in quo plus non requirit Tridentinum, quam ut sit Parochus; & si Episcopus quoque ipsi specialiter interdixerit assistentiam in matrimonio, non tamen amittit munus Parochiale, jure proprio ipsi competens. Requiritur tamen esse, solidè convincitur ex rationibus, quæ adduuntur in hoc cap. n. 111. & seqq. & num. 128. quia assistentia matrimonialis aut est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ ut talis non denominatur ex voluntate Judicis, sed voluntate partium, ex propria voluntate sibi jurisdictionem administrari cupientium; aut actus officii Parochialis, utpote spectans jure proprio ad Parochum qualem vel alium, cui Parochus assistentiam matrimonialem commiserit; aut actus testimonii excellentioris, cujusmodi testimonium, cum generatim excommunicati dare non permittantur cap. decernimus 8. de Sent. excommuni. in 6. pariter dare non valeant, etiam de actu matrimoniali dare non permitteretur. Parochus excommunicatus; qui etiam, si speciale interdictum ab Episcopo habeat, ne matrimonio assistat, videtur esse privatus suo officio partialiter quoad hunc actum, & sic invalidè assistere.

Quoad alterum articulum dicendum, assistentiam Parochi non tantum debere esse physicam, sed etiam moralem, ut sint, quid actum sit inter presentes, velut insinuavi in hoc eod. cap. num. 135. latèque firmat Dominicus Ursaga in dissertat. Theologica-Leg. de Matrimonii nullitate §. 11. num. 8. & 9. Rota in recens. p. 8. dech. 122. num. 4. & dech. 375. num. 7. 8. & 9. p. 11. Quòd adèd verum est, inquit cit. Ursaga §. 12. num. 2. ut, si Parochus ab initio firmum habeat propositum, determinatumque voluntatem matrimonio interessendi, & verba contrahentium audiendi, & deinde involuntariè distrahatur, matrimonium sit nullum, cum de actu coram se gesto testificari non possit; allegans Sanchezium de Matrim. lib. 3. disp. 39. numer. 5. Ventrigliam in praxi p. 1. de Testib. in causa matrimon. annor. 3. §. 2. num. 6. & plures alios. Imò etiam, pergit idem Author §. 13. n. 1. si Parochus affectatè & datâ operâ non audiret verba, vel non videret evidentiâ signa v. g. claudendò oculos aut aures obthurandò, adhuc matrimonium nullò modò subsisteret, ex ratione irrefragabili, & cui nunquam poterit assignari congrua responsio, quia non potest testari de matrimonii contractu, ut punctualiter omnium primus advertit doctissimus Sanchez d. l. num. 6. nihil in contrarium operante S. Congregationis decisione, quæ judicavit, matrimonium esse validum, quando Parochus affectat ignorantiam: intelligitur affectatione, quæ se simulat, non intelligere, cum tamen reverà intellexerit. Pax Jordan var. resolut. lib. 3. tit. 7. de Matrim. num. 100.

QUÆSTIO V.

Qualiter testes debeant esse presentes?

- 25** Testium præsentiam non tantum physicam esse debere, sed etiam moralem, ut intelligant, quid actum fuerit, dubitare fas non est ob generalitatem textus in l. coram Titio 209. ff. de V. S. ibi: coram Titio aliquid facere iussus, non videtur presente eò fecisse, nisi is intellegat &c. An verò sufficiat, testes tantum casualiter esse presentes, an insuper rogari, aut saltem admoneri debeant, ut attendant ad ea, quæ geruntur? Discordiam Authorum notavi in hoc cap. num. 152. & seq. unâque cum illis in num. 153. me conformavi, qui saltem admonitionem exigunt. Cop-

tra quòd assertum objicit P. Pichler ad cit. tit. de Cland. desponsat. sub num. 26. quòd neque Tridentinum, neque alia Jura exigant rogationem aut admonitionem testium; possitque finis Concilii obtineri, si testes etiam non sint rogati vel admoniti, dummodò advertant, quid agatur; paritate delumprâ ab aliis negotiis & contractibus, in quibus, exceptò testamentò, sufficit, testes quomodolibet adfuisse. Verum in cit. num. 153. jam animadversum est, rogationem seu admonitionem testium saltem implicite desiderari à Tridentino: quippe quòd, cum testes